



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. LXVIII. Sepulturæ, ubi examinatur, an Vicarius in Ecclesia Parochiali ex dispositione Decani Ruralis potuerit sepeliri, absque præscitu Rectoris Principalis illius Ecclesiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

## CONSILIUM LXVIII.

In Cauſa Vicarii in Eccleſia ſepulti  
abſque præſcitu Rectoris Principalis.

## SUMMARIUM.

1. Facti Species.
2. Rationes dubitandi.
3. Nemo eſt ſepeliendus in Eccleſia, irrequiſito illius Rectoris.
4. Differentia inter Vicarium perpetuum, & temporalem.
5. Mortuo Vicario Cura Animarum actualis redit ad Rectorem Principalem.
6. Vicarius mortuus non debet ſepeliri in Templo ſui Beneficii abſque Conſenſu Rectoris Principalis.
7. Patronus Laicus non poteſt prohibere Sepulturam in Eccleſia Patronata.
8. Modus obviandi in poſterum ejuſmodi attentatis.

## FACTI SPECIES.

## QUÆRITUR I.

An, & quo Jure à Reverendiſſimo Præſule petenda fuerit Facultas inferendi Funus Defuncti Vicarii in Eccleſiam, quam adminiſtraras?

Rationes, quæ pro Rurali Decano militare poſſent, hæc maximè ſunt 1. ut Sylv. V. Sepultura. q. 8. pro regula afert.

2. Rationes Dubitandi;

Sicut Prælati Eccleſiarum ſepeliri debent in Eccleſiis ſuæ Prælaturæ regulariter loquendo, ita & inferiores Clerici ſepeliri debent in Eccleſiis, in quibus fuerunt Beneficiati: eſt autem Vicarius perpetuus verus Beneficiatus, quia accipit Jus reale, & verum Canonicum titulum Beneficii, in quo diſtinguitur à Vicario temporali. Igitur compete-  
tebat ei Sepultura in Eccleſia, in qua habuit Vicariam. Major certa eſt. Minor omnium conſenſione admittitur, de quo videri poſſunt

Pith. de Offic. Vicarii num. 8. Sannig. eod. tit. c. 2. n. 5.

Subſumi poteſt: ſed quod de Jure aliunde jam alicui competit, pro eo peti facultas non debet: ergo. 2. Decani Rurales, cum moritur Parochus, aut Beneficiatus aliquis ex Capitulo, cui præeſt, de Jure curant funeralia defuncti, neque opus habent, ut quenquam de hoc requirant. Sed Vicarius perpetuus Parochialis eſt verè Beneficiatus, ut dixi, & in Jure venit nomine Parochi: ergo nec pro iſtius Sepultura oportebat ab ullo petere facultatem, ſed id propria Authoritate, tanquam ex Officio ſuo potuit Ruralis Decanus. 3. Vicarius perpetuus, dum vivebat, & adminiſtrabat Parochiam,

**I.** St Parochialis quædam Eccleſia Inclytæ Canonix, & Eccleſiæ W. vicina, eidemque jam à trecentis, & amplius annis Authoritate Apoſtolica plenariè ſubdita, & incorporata. In hac cum Curatus quidam Sacerdos Sæcularis, ſeu Parochialis, pro tempore Vicarius, deceſſiſſet, conſeſſim nuntio de hujus morte accepto, advolavit Ruralis Capituli de loco illo Decanus, funus illaturus Templo. Obſtitit quidem is, qui de Gremio Canonix W. moribundo adſtiterat, & amicè dehortatus eſt, dictum Ruralem Decanum, imò & rogavit, ut conceptam Sepulturam eouſque ſaltem differret, uſquedum Principalis Eccleſiæ Rector (qui eſt Reverendiſſimus Præſul W.) de hoc reſciat. Addidit eundem Reverendiſſimum, ſi pro concedenda hujusmodi Sepultura requiratur, ut moris eſſet, non difficilem in eo fore. Sed hiſ nihil motus Ruralis Decanus temerariè reſpondit, ſui fori, & muneris non eſſe, ut in hoc Caſu quenquam conveniat, aut requirat, & ſic Funus intra Eccleſiam antè dictam intulit, aut verius intruſit. Quod factum, & attentatum tanquam è Diametro pugnans contra antiqua Monafterii W. Privilegia à Sede Apoſtolica clementiſſimè conſeſſa, iniquiſſimè tulit Reverendiſſimus Præſul W.



rochiam, non opus habuit recurrere ad Reverendissimum Præsulem W. in casu, quo sepeliendus fuit quispiam defunctus in Ecclesia: ergo neque ut ipsius funus inferri Ecclesie illi posset, recusus iste ad Reverendissimum necessarius fuit, ne iniquioris conditionis esset Pastor, quam oves. Hæc maxime Argumenta objici à Decano Rurali possent: quæ quàm firma sint, videamus.

3.  
Supponenda.

Suppono hic tanquam rem explorati Juris non posse terræ mandari corpus aliquod, vel in Ecclesia, vel in Cæmeterio, nisi requisito illo, cujus est admittere aliquem ad Sepulturam in illa Ecclesia. Est enim Admissio ista Actus Jurisdictionis, & Exercitii Parochialis. Et confirmatur à pari; nam in vitis Regularibus nemo sepeliri potest in æorum Ecclesiis.

ut patet ex Bulla Clem. IV. data Fratribus Minoribus, & docent Rodriq. tom. 3. q. 58. a. 4. Pellizar. Manual. Regular. tom. 2. tr. 8. c. 5. n. 150.

Ergo universim non requisito Rectore Ecclesie, cujus est admittere ad Sepulturam in Ecclesia, non potest quis sepeliri. Quare ut decernatur, penes quem in Ecclesiis unitis sit Potestas admittendi ad Sepulturam in Ecclesia, vel Cæmeterio, opus erit inquirere, penes quem in iisdem Ecclesiis sit Jurisdictio, & Cura Parochialis. Porro dubium dupliciter potest formari. 1. Penes quem vivente Vicario Cura sit? 2. Penes quem sit eo mortuo?

4.

Ad 1. Respondeo distinguendo: Vel enim Vicarius est perpetuus, vel temporalis solum, atque ad Nutum amovibilis. Si perpetuus sit, Papa, vel Episcopus erigendo Vicariam perpetuam, in Vicarium transfert Curam actualem totam, & integram, ita ut Rectori Principali solum remaneat, Vicario illo vivente, Jus Parochiale, & Cura animarum in habitu.

Ita Abb. in c. extirpanda. 30. §. qui verò in repet. n. 15. de prabend. Az. Institut. moral. p. 2. l. 3. c. 6. q. 5. Laym. in c. ad hac. 3. de offic. Vicar. n. 2. Barb. de Offic. & potest. Paroch. p. 1. c. 2. n. 56. & seqq. Engl. in Man. Paroch. p. 2. c. 4. n. 8. Pirh. de Offic. Vicar. n. 15. König n. 33. tit. eodem. Valleng. ibid. n. 3.

Qui Rationem dat, quia ejus Officium refertur inter Beneficia, & consequenter in iis, quæ sui sunt Muneris, Potestatem Ordinarium habet. Ex quo ulterius sequitur eo casu Principalem Rectorem nullo modo posse se ingerere in Curam animarum, aut Sacramenta conferre, Vicario non requisito.

ut bene notat Barbof. l. cit. n. 58.

Rationem addit, ex Anacharano in c. exposuisti de prabend. in 6.

Quia Vicarii tales à Rectore Principali in Cura dependentiam non habent ullo modo,

sed Autoritate Juris habent Exercitium de per se, quod Principalis Rector impedire non potest, nec in ipso se intromittere. Confirmatur Argumento à Majori ad Minus, nam licet suprema Cura animarum suæ Diocesis sit penes Episcopum, hic tamen invito Rectore Ecclesie Parochialis non potest assumere Curam animarum, quam demandavit illi Rectori, dum instituit eundem in Parochiam. Igitur multò minus vivente Vicario perpetuo intromittere se potest Principalis Rector in Curam animarum demandatam tali Vicario. Poterit igitur ejusmodi Vicarius perpetuus agere omnia, quæcunque sui sunt Muneris, & consequenter etiam admittere ad Sepulturam Defunctos, Principali Rectore non requisito. Aliiter res se habet cum Vicario non perpetuo, sed temporali; nam hic non se habet ad instar Beneficiarii:

Gloss. in extravag. Joann. XXII. executabilis de prabend.

Sed Jure Parochiali tam quoad habitum, quàm quoad Actum penes Principalem manente, penes Vicarium solum est Functio, & Administratio, quam exercet nomine Principalis, & quæ exspirat mortuo Principali Rectore, ad cujus etiam nutum revocari potest.

Abb. inc. extirpanda. cit. n. 15. cum reliquis supra cit.

Excipe, nisi aliter constituatur in erectione Vicariæ, nam

ut bene notat Barb. l. cit. n. 59.

etiam totalis Cura in erectione Vicariæ transferri potest in Vicarios temporales, & ad nutum amovibiles. Hinc doctrina supra allata solum tenenda est, casu quo in erectione Vicariæ circa Curam nihil fuerit peculiare constitutum, vel ex materia subjecta nihil aliud intelligi queat.

Ad 2. facilis est Responsio quoad Vicarium temporalem, cum enim per hujus constitutionem in nullo sit imminuta potestas, & Jurisdictio Rectoris Principalis, sed hæc tota, ut Num. preced. dictum est, manserit penes istum, & Vicario solum demandata sit executio, sequitur hujus morte totam Curam etiam quoad exercitium ad Principalem Rectorem redire. Controversia esse potest, cum moritur Vicarius perpetuus, penes quem tunc sit Cura? Et tunc iterum non est difficultas quoad Ecclesias pleno jure, id est, quoad temporalia, & Spiritualia incorporatas, nam in his Ecclesiis necesse non habet Rector Principalis, ut constituat Vicarium perpetuum, sed potest illas per Vicarium temporalem administrare, tota Cura tam actuali, quàm habituali penes se remanente. Idem dicendum monet

Barbof. n. 64. l. cit.

Casu quo Ecclesia Parochialis aliqua unita est alteri dependenter, ut quia una Ecclesia Parochialis ob locorum distantiam, vel multitudinem Parochianorum in duas divisa est, &

ca,

ea, quæ de novo erecta est, accessorie anti-  
quæ unita est tanquam filialis ejusdem, tunc  
enim præsumitur Unio facta quoad Spiritua-  
lia, & temporalia, et si in unita constitua-  
tur Vicarius temporalis, habebit tantum  
Curæ exercitium; penes Rectorem Princi-  
palem autem erit Cura tam actualis, quam  
habitualis: si verò perpetuus, ad hunc qui-  
dem devolvitur Cura actualis, quamdiu vi-  
vit, eo mortuo autem redibit ad Rectorem  
Principalem. Dubium ergo totum tandem  
devolvitur ad Casum, quo Ecclesia Parochia-  
lis solum quoad temporalia unitur Ecclesiæ  
alteri, quod fit, cum Unio sit independen-  
ter, & Parochialis annexa non processit à  
Principali Beneficio, sed aliàs erat de per se.  
Ratio dubitandi est, quia ejusmodi Unio sæ-  
pè fit etiam ad Beneficia non curata; ne-  
que enim qualitas annexæ accessorie debet  
redundare in Principalem: imò casu quo  
annexio hujusmodi facta sit, si Beneficium  
Principale sit simplex, totum Beneficium,  
non obstante, quòd annexam sibi habeat  
Parochialem Ecclesiam, simpliciter, & ab-  
solutè Beneficium simplex dicitur. At si sim-  
plex solum est Beneficium, morte Vicarii ad  
Principalem Rectorem Cura redire non po-  
test: Ergo. Hæc Ratio dubitandi occasio-  
nem distinguendi præbet, qua distinctione  
existimo totam solvi difficultatem. Vel  
enim Rector Principalis eo casu est Persona  
apta ad exercendam Curam, vel apta non  
est, e. g. quia non est Sacerdos, vel non  
est approbatus Sacerdos. Si non est Per-  
sona apta, morte Vicarii redire ad ipsum  
Cura quoad actum non potest, cum sit ad  
hunc inhabilis: Unde vel ipse, vel Episco-  
pus debet providere Ecclesiæ Parochiali  
de alio Sacerdote apto, qui interim admini-  
stret Parochiam. Si sit Persona apta, Cura  
animarum tota etiam quoad actum morte  
Vicarii ad ipsum redit, & potentia habitua-  
lis, quam habebat vivente Vicario, ipsius  
morte in actum exit.

ut rectè Laym. in qq. Canon. de Pralat.  
Eccles. q. 208.

Et suadet Ratio; nam omnes fatentur in ejus-  
modi Rectore Principali manere Curam quo-  
ad habitum; & ideo solum quia quoad  
actum communicata est Vicario. Igitur so-  
lum ligata fuit Cura in Rectore principali ob  
Jus datum Vicarii. Hoc autem impedimen-  
tum morte Vicarii cessat. Igitur non est im-  
pedimentum amplius, quod prohibeat Re-  
ctorem Principalem, ne Cura, quam ha-  
bitu retinuit, mortuo Vicario in actum ex-  
eat. Patet igitur Curam animarum, mortuo  
Vicario penes Rectorem Principalem esse, si-  
ve deinde sit Vicarius temporalis, sive per-  
petuus.

Ex his non obscure videtur colligi Re-  
sponso ad quæsitum N. 2. propositum;

DICO enim, malè fuisse factum, quòd  
Funus defuncti Vicarii illatum fuerit Eccle-  
siæ non requisito Reverendissimo præfule,

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

tanquam Rectore Ecclesiæ illius Principali.  
Argumentum deducitur ex hæcenus dictis:  
nam ut N. 3. monui, explorati Juris est, non  
posse terræ mandari Corpus aliquod vel in  
Ecclesia, vel in Cœmeterio, nisi requisito  
illo, cujus est admittere aliquem ad Sepul-  
turam in illa Ecclesia. Hæc Admissio autem  
erat penes Reverendissimum, tanquam Re-  
ctorem Principalem; quia ad hunc, ut N. præ-  
ced. dictum est, Cura parochialis rediit, &  
habitus, quem prius solum retinuit vivente  
Vicario, eo mortuo in actum iterum exire  
cœpit: Ergo. Neque obstant Rationes al-  
latæ in contrarium. Ad 1. Dum dicitur,  
quòd Beneficiatus sepeliri debeat in Eccle-  
sia, in qua habuit Beneficium, ita intelligen-  
dum est, quòd debeat sepeliri saltem in  
Cœmeterio illius Ecclesiæ, non autem quòd  
debeatur ei determinatè Sepultura in Tem-  
plo: & esto, ex Consuetudine haberetur,  
ut sepelirentur in Templo, non tamen hoc  
fieri debet non requisito eo, cujus est Se-  
pulturam concedere. Neque dicas, quem-  
libet posse Sepulturam eligere, qui sui Juris  
est; nam etsi possit, id tamen potest solum  
ea conditione, si ad Sepulturam admittatur:  
unde per ejusmodi electionem Sepulturæ Ju-  
ri Rectoris Ecclesiæ non præjudicatur. Ad  
2. Lata Disparitas est inter Parochum, &  
Vicarium etiam perpetuum: morte Parochi  
vacat Parochia, & Jurisdictio redit ad Epi-  
scopum, qui Parochum ejusmodi instituit;  
morte Vicarii non Parochia, sed Vicaria va-  
cat, & Jurisdictio, quæ prius in Principali  
Rectore fuit solum habitualiter, in actum  
exit. Hinc mirum non est, mortuo Vica-  
rio totam Curam, & consequenter potesta-  
tem admittendi ad Sepulturam esse penes  
Principalem Rectorem. Imò Argumentum  
potius nobis servit; sicut enim mortuo Pa-  
rocho Jurisdictio redit ad Episcopum, qui  
eo casu est Principalis Rector, & propterea  
Decanus Ruralis, quasi delegatus Episcopi  
Funeralia Defuncti curat, ita etiam Funera-  
lia Defuncti curare, vel saltem de Sepultura  
requiri debet Rector Principalis, cum mori-  
tur Vicarius in Ecclesia unita. Ad 3. Ne-  
go Consequentiam; nam dum vivit Vicari-  
us perpetuus, tota Cura, ut sæpè dictum  
est, est penes ipsum. Igitur non est mirum,  
quòd eidem etiam competat Jus admittendi  
ad Sepulturam. At eo mortuo, Cura tota  
ad Principalem Rectorem redit: hinc mirum  
esse non debet, quòd ab eodem peti debeat,  
& concedi locus ad Sepulturam. Confirma-  
tur. Nam mortuo Vicario, Monasterium,  
vel Ecclesia Collegiata administrat parochia-  
m, dum alius à Rectore principali nomina-  
tus instituitur ab Ordinario tanquam Vicari-  
us perpetuus. Pertinet autem ad admini-  
strationem parochiæ Jus admittendi ad Sepul-  
turam: ergo hoc ipso quòd administratio ad  
Rectorem Principalem redeat, etiam redit Jus  
admittendi ad Sepulturam. Neque idcirco  
Pastor iniquioris conditionis est, quam sint

Responde-  
tur ad ra-  
tiones op-  
positas.

U u u

oves

6.  
Resolvitur  
Questio.

oves; quia supponitur facile & in tempore impetrari veniam posse. Aliud foret, si Rector Principalis multum distaret; tum enim præsumptæ hujus Licentiæ locus foret. Maneat igitur conclusum, Rectorem Principalem omninò requirendum de Sepultura Vicarii à Decano Rurali fuisse, & hunc dum requisitionem omisit, violati Juris in Reverendissimo Præsule residentis reum se fecisse. Et hoc verum est præcindendo ab omni alio Privilegio, quia sequitur de Jure Communi ex ipsa incorporatione plenaria, qua Ecclesia aliqua unitur alteri tanquam Principali, & Matrìci suæ.

## QUÆRITUR II.

*An Patronus Laicus impedire possit Sepulturam Clerici, vel alterius in Ecclesia?*

7. **R**ESPONDEO, Non posse; nam Admissio ad Sepulturam Ecclesiasticam, ut ex hæcenus dictis patet, est Actus Jurisdictionis Ecclesiasticæ, cujus incapax est Patronus Laicus. Confirmatur. Nam ut Lezan. *qq. regul. V. Sepultur. quoad regulares. n. 15.* & apud hunc Lambertin. Laborius, Peyrinis docent, potest construi in Ecclesia Patronata, seu quæ Fundatorem habet, Sepultura sine hujus Consensu, imò etiam eo invito: ergo etiam illo invito concedi alicui Sepultura potest sive in Templo, sive in Cæmeterio. Hinc malè fecit Dynasta ille, qui ante viginti annos Funus Parochi officio suo immortui prohibuit inferri Ecclesiæ à se Patronatæ; nam in hoc transit limites suæ potestatis, quam solum habet ad præsentandum Pastorem, & defendendam Ecclesiam, non verò ad Jurisdictionem aliquam in ea exercendam. Discrimen igitur inter nostrum, & hunc Casum est, quia Patronus Laicus Jurisdictionem in Ecclesia à se Patronata nec habitu, nec actu habet ullam, quæ proinde mortuo Parocho, quem præsentavit, ad ipsum redire non potest. E contrario Patronus Ecclesiasticus in Ecclesia sibi incorporata vivente Vicario Jurisdictionem, licet non actu, habitu tamen habet, & hæc morte Vicarii ad eum redit: Et hinc mirum non est, quòd mortuo Vicario Jura Parochialia per se, vel per alium Vicarium temporalem interea administrare possit, dum de alio perpetuo Vicario provideatur. Quòd si autem administrare Jura Parochialia potest, etiam ipse erit admittere ad Sepulturam. Rectè igitur Patronus Ecclesiasticus, seu Rector Principalis, desiderat à se peti facultatem inferendi Defunctos ad Sepulturam, licet hoc Patronus Laicus non possit exigere. Quare in Causa Casus nostri non Jus Patronatus qualiscunque, sed Jus per incorporationem quæsitum consultius allegabitur; nam vi istius, ut dictum est, fit, ut Cura, & Jurisdictio morte, vel Resignatione Vicarii ad Rectorem Principalem

redeat etiam quoad actum, ac proinde ut nemo invito Parocho, ita nemo invito Rectore Principali, vacante Vicariâ, inferre Funus possit Ecclesiæ.

## QUÆRITUR III.

*Quomodo in futurum sit occurrendum hujusmodi Violentiis, & attentatis?*

**R**ESPONDEO, Eodem modo Jus hoc defendendum, quo alia Jura & Privilegia. Repræsentari Rationes in decursu Solutionis istius allatæ possunt, quarum præcipua est, quòd admissio ad Sepulturam sit Jurisdictionis, & exercitii Parochialis actus, Jurisdictio autem morte Vicarii etiam quoad actum conveniat Rectori principali. Si Decanus Ruralis volens sese ingerere, objiciat defunctum Vicarium Membrum fuisse sui Capituli, & consequenter sibi subditum, concedi eidem Superioritas potest in Personam, non verò in locum Sepulturæ, seu Ecclesiam incorporatam alteri à Jurisdictione illius Exemptæ; nam in hac tam parum ipse sepelire Funus Vicarii potest, invito Rectore Principali, quam parum potest Parochus unius Ecclesiæ invito altero Parocho inferre Funus in hujus Ecclesiam; utrinque enim involaretur in Jurisdictionem alienam. Si 2. opponat, quòd in aliis Patronatis Ecclesiis Clericos de suo Capitulo Defunctos sepeliat, non requisito Patrono, opponi vicissim eidem potest discrimen inter Patronum Laicum in Patronatam à se Ecclesiam, & inter Patronum Ecclesiasticum, seu Rectorem Principalem in incorporatam Ecclesiam Matrìci suæ, quia ut *N. præced.* dictum, Patronus Laicus in Ecclesiam Patronatam Jurisdictionem non habet, habet Patronus Ecclesiasticus, seu Rector Principalis, præsertim morte, vel resignatione Vicarii. Si 3. Obtendat consuetudinem etiam in Ecclesiis incorporatis, exigendum ab illo, ut Consuetudinem istam probet: & esto Consuetudo esset alibi; cum per Consuetudinem, & Præscriptionem non plus obtineatur, quam sit possessum, non sequitur, quòd Jus istud habeat etiam in hac Ecclesia, de qua est Controversia. Neque obstat, quòd defunctum ante hunc Vicarium etiam Decanus, non requisito Reverendissimo Præsule intulerit Ecclesiæ; nam hoc nesciente Reverendissimo, & postquam recevit, contradicente eodem factum est: atqui unus actus, præsertim si fiat cum contradictione læsi, non facit Consuetudinem, vel Præscriptionem. Si denique his omnibus nihil efficiatur, supererit pro defensione Jurium Judicium contentiosum, in quo coram

8.

Judice competente disceptetur  
Controversia.

CON-